

res pertinentes ad doanam, aut si aliquis fraudauerit, uel faceret aliquid contra ordinamenta doane, teneantur doanerij per sacramentum, et etiam scribanus manifestare domino comiti illo die, quo sciuerint predicta.

Ordinamus, eciam quod quicumque uendiderit aliquas mercationes, tam cum credencia, quam cum denariis in manibus alicui uolenti ire ad loca, in quibus soluitur ius doane, debeat dare cartulinas, sicut scriptum est in libro doane et eciam quilibet, qui dabit cartulinas, debeat iurare una uice, quod ita uerum est, sicut scriptum est in cartulina, quam dabit et per illud sacramentum semper teneatur de ueritate dicenda, quum dabit cartulinas.

Item ordinamus, quod aliquis non debeat in domo doane ludere ad aliquem ludum taxillorum¹⁰³⁾ siue tabularum, nec ad aliquem alium ludum. Et qui contrafecerit, soluat pro quolibet pro banno yperperum vnum qualibet uice, qua fuerit contrafactum et doanerij et scribanus per sacramentum teneantur manifestare domino comiti omnes ludentes in doano illo die, quo ludent et tam dicti doanerij, quam alij, qui accusabant habeant medietatem banni. Cridatum fuit per loca solita per preconem comunis, ut moris est.

Preterea ordinamus, quod tam doanerij quam camerarij et omnes officiales recipientes de moneta comunis teneantur per sacramentum incidere omnes follar. falsos et follaros factos de peciis rami et stamirios de Dyrachio et ollaros incisos, quotiens per personam portabuntur eis.

XLIII. In paruo consilio ordinatum fuit, quod nullus debeat scorticare uel scorticare facere aliquam bestiam in aliqua domo, nisi in becharia sub pena yperp. V. uel cuius est bestia et ille qui eam scortiscauerit et in domo illius cuius excorticare fecerit et accusator habeat medietatem.

Item nullus beccarius non debeat extrahere de beccaria pelles aliquas sine uoluntate domini comitis et qui contrafecerit soluat qualibet uice comuni ypp. unum.

Item in paruo consilio congregato ordinatum fuit, quod beccarij non audeant trahere pelles de beccaria de bestijs, quas occidere faciunt nisi prius soluant rationem domini comitis et doane sub pena unius yperp. pro quolibet.

XLIV. Nos Marinus Badoarius comes Ragusij cum uoluntate minoris et maioris consilij sonitu campane congregati, ut moris est, statuimus et firmamus, quod uia sit apta ad eundem Catarum ita tamen, quod quilibet Raguseus, qui uendiderit suas mercationes alicui Catarino uel aliquis Raguseus, qui iuerit Catarum cum mercationibus et quelibet alia persona exceptis Venetis, qui sunt franchi, debeant soluere doane follr. duodecim pro quolibet lib. yperpo et dictum dacium debeat morari ad uoluntatem domini comitis et sui maioris consilij.

¹⁰³⁾ Taxilli „lusorica tesserac“. A. Tabula seu tabularum ludus uel alearum, alveolus, in quem tesserac jacuntur.“ Isidor. 1860. „Tabula i. alea in qua luditor pigris, calculis, et tesseris.“ Du Cange l. c.